

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8679

Auteur(s) : Richard Ier Cœur de Lion, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1198, 4 mai

Lieu d'émission : Lyons-la-Forêt

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

AUTRE CHARTRE DU MESME RICHARD ROID'ANGLETERRE (1198). — Richard Cœur-de-Lion confirme toutes les possessions et tous les privilèges de l'abbaye. Dans cette longue énumération des dépendances de Perseigne on relèvera seulement les noms nouveaux de Gué-Chaussée, d'Echauffour et de Forges.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, n° XV, p. 39-43.

Dissertation critique

Note dans le cartulaire : « Le mesme roy Richard, duc de Normandye et comte du Maine, au mois d'aoust de la mesme année neufiesme de son règne estant à la Roche-Andeline, par une autre charte, dont l'original se trouve égaré, donna à ce monastère dix livres angevines de rente annuelle et perpétuelle, à prendre et recevoir sur la vairie et prevosté du Mans. Le vidisse ou enregistrement de laquelle se trouve parmi les autres vidisse. Voyés en davantage aux Annales de Perseigne en l'an de N. S..... » (FLEURY, *Cartulaire de Perseigne*, p. 43).

Texte d'après a

Richardus, Dei gratia rex Anglie, dux Normannie, Aquitanie, comes andegavensis et cenomanensis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, militibus, burgensibus, justitiariis, ballivis, vicecomitibus, senescallis, prepositis, viariis et omnibus ministris et fidelibus suis, salutem. Sciatis nos dedisse et presenti carta nostram puram et perpetuam elemosynam, liberam et quietam, confirmasse Deo et Beate Marie de Persenia et monachis ibidem Deo servientibus et servituris. In primis locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est cum rebus, edificiis et nemoribus et pertinentiis suis. Grangiam de Sancto Jacobo. Grangiam de Haaiis. Terras de Landis. Grangiam de Ragoneria. Terras, census et homines de Lespechellerie. Locum qui vocatur Buignon juxta Novum-Castellum et omnes res, homines et possessiones quas habent dicti monachi in tota parrochia de Novo-Castello. Grangiam de Altanosia. Grangiam de Alba-Landa. Domos et terras de Sagonia. Domos et res de Mennona. Grangiam de Tusca. Domos et terras sitas juxta stagnum de Vado-Calciato. Grangiam de Montepulano. Grangiam de Virimonte. Grangiam de Cortremblay. Grangiam de Sicca-Noa. Grangiam de Clarofonte. Grangiam de Toigneyo. Grangiam de Villeta. Habergamenta, domos, pressoria, terras et vineas de Freneyo, de Bellomonte, et de Villapicta. Habergamenta, domos, vineas, census et redditus de Silleyo Guillermi. Domos et homines de

Montesoro. Molendinum de Britesca cum molitura totius Novi-Castelli, et stagnum ejusdem molendini. Molendina de Mamerto cum molitura totius Mamerti in quibus cum monachis Blesensibus dividunt in omnibus tam in justitia, caducis, eventibus quam emendis. Molendina de Forti-Manerio, res, domos, census, homines et feodum dicti loci. Pressorium, domos et vineas cum plessiis et clausuris suis usque ad magnum nemus de Novo-Castello. Pressorium, domos et vineas, census et redditus de Pireto. Pressorium, domos et vineas de Charbonariis, de Sancto-Blasio et de Colonis juxta Cenomanos cum omnibus tenementis et pertinentiis suis. Grangiam de Rolers cum pratis, pascuis, pasturis, piscariis et pertinentiis suis et juxta eandem grangiam tres sexteriatas terre cum hominibus, domibus et libertatibus suis. Grangiam de Malafia, cum bordis et nemoribus sicut extenduntur usque ad aquam que dicitur Sorel et ultra usque ad bordas predictas prout in cartis Willermi comitis plenius continetur. Grangiam etiam de Calceia et domos juxta bordas predictas. Agros et prata de la Laire et terras de la Boiterie cum pertinentiis suis. Concedimus insuper et damus prefatis monachis et successoribus suis in omnibus locis predictis et eorum tenementis et pertinentiis omnimodam venationem ad omnia grossa animalia et parva et omnem jurisdictionem, districtum, dominium et justitiam altam et bassam ac etiam plenariam, absque hoc quod nos vel heredes nostri, sive quilibet alii, possimus ipsos monachos aut successores suos in aliquo impedire vel etiam contraire. Concedimus etiam ipsis monachis et eorum monasterio burgensem unum in villa Alenconis cum domo sua et heredem ejus, eum scilicet qui dictam domum possidebit, et domum Johannis Barate que sita est ante castellum Alenconis, cum hortis, decimis et canaberiis de Barra. Et feodum Bartholemi cum decimis de Barra, cum duabus partibus cujusdam decime in parrochia de Damigneyo in feodo Hain. Et census quos habent in villa Alenconis. Domos, terras et decimam de Columbariis juxta Alencionem. Domos, terras et homines de Sarchofago. Domos, terras et decimam de Planteis. Res et feodum de Chaufor cum pertinentiis suis et decimam de Forgis cum omnimoda libertate. Hec autem universa et singula cum grangiis, terris, pratis, pascuis, pasturis, vineis, pressoriis, domibus, nemoribus, stagnis, aquis, molendinis, molituris, piscariis, decimis, censibus, hominibus, usagiis, libertatibus ac liberis consuetudinibus et cum aliis rebus, seu elemosynis a predecessoribus nostris et fundatoribus suis, sive a quibuslibet aliis Christi fidelibus datis et concessis ipsis monasterio et monachis in puram et perpetuam elemosynam liberam et quietam ab omni terreno servitio et exactione seculari confirmamus, grata, ratificata et confirmata habemus. Concedimus etiam prefatis monachis et successoribus suis, usagium suum in omnibus forestis et nemoribus Willermi, quondam comitis Pontivii et Alenconis, ad omnia necessaria sua et porcorum et omnium animalium suorum pasnagium, herbagium et pasturam, nec volumus quod ab aliquo forestario vel custode forestarum predictarum aut nemorum valeant molestari et volumus quod dicti monachi et successores sui possint grangias, loca, et possessiones suas tradere secularibus futuro tempore ad medietatem, redditum vel ad firmam, prout melius sibi viderint expedire. Et volumus et concedimus quod omnes qui loco et nomine dictorum monachorum in dictis locis, grangiis, medietariis, vel in aliis possessionibus eorum quoquomodo in futurum remanebunt, tam donati quam non donati, tam clerici quam laici, habeant usagium suum in omnibus forestis et nemoribus predictis ad omnia sibi necessaria, et porcorum et omnium animalium suorum pasnagium, herbagium et pasturam ; et gaudeant eisdem immunitatibus, libertatibus et privilegiis, ratione locorum supradictorum quibus et gaudent monachi sepedicti. Preterea volumus et concedimus quod si dicti monachi per se, vel per alios, forte non exspectant, vel exspectaverint, omne jus suum jurisdictionemque et justitiam in omnibus concessionibus, elemosynis et donationibus suis, vel earum singulis, et usagium suum in omnibus jamdictis forestis et nemoribus tam in haaiis, defaaiis quam in defensis antiquis et novis ceterisque omnibus, vel aliquo eorum futuro tempore aut exspectare cessaverint causa qualicumque quod per nonusum eisdem monachis aut aliis ab ipsis causam habentibus et habituris nullum prejudicium generetur, quin possint in forestis et nemoribus predictis aut eorum quolibet usagium suum ad omnia sibi necessaria et omnium porcorum et animalium suorum pasnagium, herbagium et pasturam capere et habere et omne jus, jurisdictionem, districtum et justitiam suam in omnibus premissis vel in quolibet ipsorum exspectare et exercere quotienscumque voluerint et sibi viderint expedire. Et si aliqui de ministris et alocatis nostris aut heredum vel subditorum nostrorum, per vim seu per violentiam vel qualemcumque occasionem in grangiis, locis, possessionibus sive quibuslibet rebus aliis in hac carta contentis, ad dictos monachos pertinentes aliquam jurisdictionem vel justitiam exercent, in futurum volumus quod nullum prejudicium eisdem faciat, nec desaisina ipsis noceat in futurum, nec saisina aliqua in omnibus supradictis, aut in aliquo ipsorum nobis aut heredibus vel subditis nostris contra prefatos monachos vel successores suos, seu contra elemosynas aut concessionem, donationem, et libertates suas aliquid proficiat in futurum, nec in jure, possessione vel proprietate. Nolumus etiam dictas forestas et nemora tantum in posterum vendi, extirpari vel etiam devastari, quin prefati monachi et successores sui possint in dictis forestis et nemoribus usagium sibi necessarium, herbagium, pasnagium et pasturam suorum animalium reperire, sicut in cartis Willermi comitis aliorumque fundatorum suorum, super his et aliis articulis plenius continetur, quas eisdem monachis et

successoribus suis cum universis aliis eorum privilegiis per omnes et singulos articulos confirmamus et volumus stabiliter et firmiter robur perpetuum obtinere. Volumus insuper et concedimus quod prefati monachi et successores sui possint claudere res, possessiones, et nemora sua, absque omni calumnia, fossatis, haliis, sive pallo, prout sibi utilius viderint expedire et in signum mere libertatis ac perpetue eleemosine domos suas edificatas in locis predictis, vel etiam edificandis in posterum, cruce signare sive eisdem imponere signum crucis. Item volumus et concedimus quod ipsi monachi eorumque successores omnes res et eorum homines, sive illi qui in locis, grangiis vel possessionibus ipsorum quocumque modo manebunt, in futurum sint quieti et liberi de theloneo, passagio, pontagio, pedagio, coustumis, talleis, corveis, bosselagiis, reparatione villarum, pontium, viarum, omnique alia consuetudine et seculari exactione de omnibus rebus quas vendiderint, vel emerint, vel deportare fecerint per terram et aquam, in omni loco jurisdictionis potestatis nostre ad proprios usus suos et prohibemus ne quis eos, vel res, aut homines eorum, in aliquo vexet aut disturbet aut subjectioni seculari supponat, quia tam ipsos monachos quam cuncta que eorum sunt sicut res proprias et dominicas in manu nostra et speciali guarda et protectione retinemus nec portare ullatenus possemus si quis eos aut bona vel homines ipsorum turbaret, vexaret vel in aliquo minueret aut libertates et immunitates a nobis vel ab antecessoribus nostris interdiceret. Prohibemus etiam ne de ullo tenemento suo ponantur in placitum nisi coram nobis aut capitali justitia nostra. Volumus etiam et concedimus quod carte et privilegia a nobis et fondatoribus suis sive a quibuslibet aliis Christi fidelibus data dictis monachis et concessa absque corruptione vel diminutione aliqua inviolata permaneant perpetuo ac etiam inconcussa. Volumus insuper et concedimus quod dicti monachi et successores sui habeant et teneant quicquid jam acquisierint sive in posterum Deo propitiante acquirere poterunt aut eleemosyna aut propria emptione de baronibus, militibus, burgensibus et aliis hominibus nostris cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus et quietanciis suis in bosco et plano, in omni loco potestatis nostre honorifice possidenda cum omni jure, jurisdictione et districtu, nihil nobis et heredibus nostris, in omnibus et singulis que in hac carta continentur retinentibus in jure, jurisdictione, districtu, possessione vel proprietate nisi tantum preces et orationes in dicto monasterio Deo et Beate Marie servientium monachorum. Et ne dictum monasterium aliqua pravorum malignitate valeat perturbari omni qua possumus autoritate decernimus atque precipimus ut nullus in eo aut in locis ejusdem prandium, hospitium, sive prebendam aut rem quamlibet aliam improbe et quasi hereditario jure requirat, sed omnia honorifice, integre, pacifice, libere et quiete conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Hanc autem donationem, concessionem et confirmationem dedimus dictis monachis et successoribus suis pro salute anime nostre animarumque antecessorum et successorum nostrorum et ut memoria nostri in dicto monasterio in perpetuum habeatur. Testibus his Philippo dunelmensi episcopo, G. Witon., Andrea de Chauvigneio, Hugone de Gornay, Bertherio de Verdun, domno Adam confessore nostro abbate de Persenia, magistro Maugerio archidiacono, magistro Rogerio de Sancto Edmundo et pluribus aliis. Datum per manum E. eliensis episcopi tunc agentis vicem cancellarii, decima quarta die maii. Apud Lions anno nono regni nostri.